

Imo et ipsi Iudices Criminum magis juris periti et or-
tu clari existunt Gedani, quam Magistratus oppidorum
Poloniae, quos Statut. Thorun: expresse admittit ad iudican-
dum super Nobiles, cum Capitaneo.

Ita sonat Statutum Thorunenſe juxta Herbertum. Quia
Nobilium & Civitatum regni nostri damnosa fuit
exorta differentia super his Nobilibus, qui in recenti
crimine pro violentia in civitatibus aut oppidis capie-
bantur. Proinde nos tam gravi negotio ad praesens, ad praesens,
propter Prussia bellicam occupationem, pro perpetua
ordinatione non valentes, nihilominus providentes
Securitati subditorum nostrorum de unanimi Consilio
Consiliariorum nostrorum omnium, & Nunciorum terre-
strium Regni, statuimus et ordinamus. Quod cum ali-
quis Nobilis in Civitate vel oppido nostro, aut aliquo-
rum Spiritualium et Secularium Subditorum Regni
nostri pro crimine violentiae per officium Civile Captus
fuerit, ex tunc talis Nobilis detineri debet in Pretorio